TRACTATUS
DE
MONESIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

A C D I R E C T O R I S

SPECTABILIS ÁC PERILLUSTRIS

D O M I N I D E C A N I

NEC NON

CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE GRADU

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ALMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE HUNGARICA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

AURELIUS GEORGIUS SZANIK

HUNGARUS CIBINIENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio universitatis die Januarii 1844.

Pesthini.

Typis Josepho Beimelianis.

1844.

PERILLUSTRI DOMINO

JOSEPHO KRAUS

MAECENATI ET AMICO OPTIMO

IN VENERATIONIS ET GRATITUDINIS

MONUMENTUM

PAGELLAS HAS SACRAS VULT

Auctor.

TRACTATUS
DE
MONESIA.

---

§. 1.

Notio historica.

E penu novissimorum remediorum, quibus literarius orbis medicus quotidianum augmentum, indefessis conatibus naturae scrutatorum, sagacissimis artium hygienes Coriphaeis, et quam plurimum stupendis recentioris Chemiae progressibus, in acceptis referrendum habet, recentissimis temporibus therapeuticos in usus felicissimo cum successsu adhibitum pharmacon *Monesia* nuncupatum, maximam sibi vindicando auctoritatem, jure et merito primum in catastro pharmacologico tenet locum.

Sub nomine *Monesiae* est ante quadriennium substantia quaedam vegetabilis, in forma crassorum, compactorum, in circa 500 Grammatum (1 Libram Uncias duas et semis usque Pond Austr.) gravium panum, ex America Meridionali, et quidem e Regno Brasiliano, ad Europam invecta. Huius formae panes seu frusta, quibus flavescens charta, utpote horum involucrum, fortiter adhaeret, constant Extracto, quod cortex cuiusdam arboris in abundanti suppeditat quantitate. Vera huius arboris botanica nomenclatio hucadusque ignoratur. Secundum Martini St. Ange suspicationem, dicitur esse *Chrysophyllum* e familia *Sapotearum.* Caeterum nullum patitur dubium, arborem hanc insignem habere magnitudinem, siquidem cortices huius 6. usque 8. Millim. sunt crassi, admodum compacti, duri, graves, toti quanti extracto imbuti; coloris profunde *brunei;* si perfectam nanciscuntur crassitiem, tum interna horum su-

perficies, refert coloris livescentis speciem epidermidis, externa vero superficies est glabra, similis Platani; fracturae e toto aequabilis non striatae, absimilis corticum Chinae et Quercus; saporis initio leniter dulcis, quem tamen brevi post excipit acer. Cortices quoque hi in quaestu sub nomine *Monesiae* venduntur.

§. 2.

Analysis Chemica.

Extractum Monesiae, quod in quaestu memoratis in frustis occurrit, est coloris profunde *brunei*, fere nigri, nimium friabile atque fragile, superficies fracturae, neque pallidum Catechu, neque splendidum Kino exhibet adspectum, verum similem bene tostarum fabarum Cacao. In aqua solvitur e toto, sapor illius initio sacharaceus, mox transit in adstringentem, et in faucibus manifestam atque diutius perdurantem relinquit acrimoniam.

Analyses Chemicas plures instituere cel. viri, quarum perfectissima omnium quae habetur est haec, quam Bernard Derosne, O. Henry et F. J. Payen repetitis vicibus instituerunt, memoratu digniores sequentes enumerari merentur.

Analysis Corticis Monesiae, quam Dr. Forget in Bulletin de Therapie J. XVI. p. 199. Anno 1839 communicavit, simplicissima omnium, tres duntaxat commemorat partes constituentes, et quidem: Tanninum, Mucilaginem, et Glycyrrhizinum.

Analysis Corticis Monesiae secundum Heidenreich Pharmaceutae Strassburgi, sequens exhibuit resultatum: Residuum lignosum, quod 5/8 Corticis effecit, initio aqua frigida, dein bulliente, tandem Aethere tractatum, et denique in cineres conversum, remonstravit praesentiam, Gaz Acidi Carbonici, Sulfurici, et Oxymuriatici, calcem copiosam, Kali, et quidpiam de Ferro atque Silica.

Extractum vero Monesiae:

Eisenblaeuendem Gerbstoffe. Tannini	52
Gummi seu Mucilaginis	10
Glycyrrhizini	36
Jacturae	2
	100

100 partes Corticis Monesiae tenent

1. Principii Aromatici, atomum	
2. Stearinae, Chlorophylli et Cerae	1, 2.
3. Glycyrrhizine	1, 4.
4. Monesini (Saponini analoga acris materia) . .	4, 7.
5. Tannini	7, 5
6. Pigmenti rubri (eidem Chinae aut Catechu simili) Rother Farbenstoff	9, 2.
7. Gummi, exiguam indeterminabilem quantitatem.	
8. Acidi Malici) 9. Malatis Calcis)	1, 3.
Phosphatis Calcis — Magnesiae Sulfatis Lixivae Chloratis Lixivae Malatis Lixivae 10. Orydi Ferri — Mangani Siliceae	3, 0.
11. Acidi Pectinici) 12. Fibrae Ligneae, Jacturae, Holzstoff) . .	71, 7.
	100,0

§. 3.

Praeparata Pharmaceutica.

Quae in usus therapeuticos hodiedum usque adhibentur praeparata pharmaceutica, sex eorum numerantur, videlicet:

1 Extractum aquosum.
2. Syrupus simplex et compositus.
3 Tinctura aquoso - spirituosa.
4. Chocolada.
5. Ungventum.
6. Principium acre, seu Monesinum.

Extractum Monesiae paratur, extrahendo aqua frigida e pulvere grossiore Corticis Monesiae, et medio vaporis, aut balneo Mariae ad consistentiam Extracti evaporando. Ratione hac obtentum Ectractum, in 100 partibus, tenet fere 8. partes Glycyrrhizini et 20. Monesini.

Syrupus Monesiae simplex obtinetur: sumendo syrupi simplicis 9. Kill. 800. Gram. Extracti Monesiae sicci 100. Gram. et Aquae dest. simplicis 100. Gram. — Syrupus hicce in 100 partibus ponderis, unam partem Extracti, seu 6. grana in una Uncia.

Syrupus Monesiae Compositus constat: Syrupo M. simplici 1. Kilogr., Extracto Papavoris albi 16. Decigram., Aquae Naphae 30. Gram.

Tinctura aquoso-spirituosa M. componitur extracto monesiae 0, kilogr. 500 gr. Aquadest. simpl. 7, kilogr. 500 gr. Alcohole 34° 3 kilogr. — Tinctura haec in 100 pond. part. 5 partes extracti tenet, seu 30 grana in una uncia.

Chocolada Monesiae in una tabula 3 decagrammatum, 30 centígram, extracti continet.

Ungventum monesiae constat olei amigdalarum dulcium 4 kilogr. cerae albae, 3 kilogr. extracti mon. 1 kilogr., et aquae purae 1 kilogr. — Octavam partem extracti tenet.

Monesinum obtinetur, extrahendo e cortice medio ferventis Alcoholis 25 graduum; tincturae huic pro supersaturatione additur calx viva. Liquor isthic per continuam agitationem fit excolor, et format rubro-bruneum sedimentum, quod pigmentum tingens atque Tanninum recipit; Glycyrrhizinum vero et acidum malicum se uniunt calci, atque ratione hac solutum alcohol tenet Monesínum. Destillatione liquoris limpidi. et evaporatione ad siccitatem usque, residuum cui quidquam carbonis animalis additur, frigida tractatur aqua, solutum dein filtratur, et rursum ad siccitatem usque evaporatur, hoc modo obtentum productum, sistit massam facile friabilem, quae in subtilissimum trita pulverem, Monesinum est.

Pulvere isthoc cunctae ceterae formae medicamentorum, utut pilulae, Syrupus, ungventum etc. e tempore magistraliter parari possunt, quod et meo videre longe praestantius est, ac jam parata in Pharmacopolio conservare praeparata.

§. 4.

Usus Therapeuticus.

Jam a quadriennio in circa a diversis medicis, diversis in morbis adhibetur Monesia, cuius fama per universum

dispersa orbem, ad nostras quoque percrebuit oras, non paucos sibi adlegit cultores, praebuit et miseris non paucis dulce solamen. Nullo hucadusque praeexistente speciali tractatu, aut, quae publici evasisset juris, systematica quaedam Monographia, omni destitutus mentore, celeberrimorum duntaxat de Monesia bene meritorum virorum, diversis in annalibus atque novalibus medicinalibus dispersas observationes, sedule collectas ad systematicum redegi ordinem, horumque factae experientiae resultata, brevibus succincte enumeraturus sum Nomina hoc in genere celeberrimorum virorum, specialem atque honorificam hic loci merentur commemorationem. Sunt autem sequentes: DD. Alquié, Baron, A. Bérard, Buchey, Daynac, B. Derosne, Fischer, Henry de St. Arnould, O. Henry, Hervez de Chégoin, Koreff, Laurand, Lisfranc, Mancel, Martin St. Ange, Manec, Marx, Monod, Mayen, Trousseau, Parisiis. Adrien in Crécy, Barnetche in Bordeaux, Guilbert in St. Dizier, Forget Strassburgi, Mesnard et Maher Rocheforti, G. Noverret in Martinique, Bitling, Holmes, J, W, Jones Ruppel, Sigmond Londini, Beatties, Graves Dublini, Nancrede Philadelphos, L' Herminier in Guadeloupe etc.

Initio cognitis morbis, in quibus aborigines (die Eingeborenen) Monesiam adhibere solebant. solummodo in affectionibus cum universali vel locali atonia incedentibus, in profluviis sangvineis, aut serosis ordinabatur, serius tantummodo cognita analysi chemica, et factis in statu sano observationibus, usus illius therapeuticus ad alios quoque extendebatur morbos.

A. *Internus usus.*

Morbi, in quibus interne adhibita est Monesia, sunt sequentes:

1. *Bronchitis.* Copiosissime in stadio chronico, utplurimum sola, rarius opio juncta, innumeris in casibus qua Tonicum, Catarrhosim modificando, expectorationem promovendo, excessivam restringendo, respirationem liberiorem reddendo, desideratum exeruit effectum.

2. *Haemoptysis'* Perstantes diuturniores haemorrhagiae pulmonum, quae pertinaciter diversissimis obstitere remediis, extractum Monesiae feliciter sustulit.

3. *Phtisis pulmonalis.* Quamquam directa in hocce truculenti morbo careat virtute: eo non obstante, expectorationem propediendo, sputorum secretionem minuendo, nutritionem qualitate roborante in organa digestionis incitando, salutarem phtisicis praestitit effectum. A. Bérard.

4. *Debilitas ventriculi.* Maximam exerit efficaciam in digestionem e langvore prostratam, et modo secundario in nutritionem, incitando organa digestionis. Foeminis diuturnioribus morbis, aut excessiva sangvinis jactura exhaustis, speciatim eo in casu, quem Payen observavit, ubi tanta aderat debilitas, ut animi deliquium sequeretur optime conducit, excitat etenim ventriculum. restaurat appetitum, promovet digestionem, et sollicitat virium statum. Maher exhibuit chloroticis puellis, quarum ventriculus praeparata ferri non tulit, prius Monesiam, et post hanc martialia. Noveeret in endimice sub Antillis grassante morbo, Mal d' estomac, sperat praeparatis ferri, cum fructu substituere monesiam. Cunctis his in casibus caetera tonica et adstringentia remedia, sine effectu adhibita fuere.

5. *Vomitus.* Payen praecipue illis, qui matutino vel antemeridiano tempore, vomituritionibus divexantur, et vomitu albuminosam tenacem ejiciunt materiam, optato cum successu exhibuit; pari ratione cuidam Dominae, vomitu laborante, qui a tuberculis pulmonum suam repetiit originem, incassum aliis adhibitis remediis, molestum hocce symptoma mox sustulit monesia. Similem efficaciam in vomitu expertus est Dr. K. Infantibus emaciatis, summe debilibus, vomitu et diarrhoea excessivis, a physconia lienis repetitis, cum fructu exhibuerunt Payen et Adrien

6. *Gastritis, gastroenteritis.* In statu chronico, dum usus tonicorum indicatur, omnibus praeripit palmam. Numerosissimis felicissimo successu coronatis observationibus innixus Adrien, aphoristice asserit, monesiam durante stadio inflammatorio quoque in Gastro enteritide, non obstante eo, etiamsi lingva in medio arrida, ad margines vero praerubra conspicitur, posse absque omni periculo et detrimento, cum fructu exhibere, solet etenim totius morbi abbreviare decursum.

7. *Diarrhoea.* Efficacius monesia hocce in morbo non existit remedium, nam cujus sint indolis cunctas absque ullo discrimine causae excitantis sanat diarrhoeas. His adnumerantur d. in sequelam erroris diaetetici — psycticae seu

a refrigerio — colliquativae Phtisicorum — ab exulceratione intestinorum, — symptomaticae a vitio organico, hepatis, lienis, uteri, — habituales et pertinaces nervosorum individuorum, — gravium tubi intestinalis affectionum sequelae, in specie dysenteriae, — in febribus intermittentibus, vel ab eadem reconvalescentibus Mesnard, — durante reconvalescentia e typho abdominali, Baron. — Alquié, Laurand, Manec, Martin St. Ange, Adrien, Maker, Barnetche, Monod, singuli numerosis in casibus semper constantem experti sunt virtutem. Memoratu dignum est, Monesiam, non tantum diarrhoeas, verum etiam his saepe copulatas sistere affectiones colicas. In pertinacissimis casibus neque monesia, neque opium seorsive exhibita, sufficientem praestiterunt effectum, simul unita, diarrhoeam constanter atque tute profligarunt, ni incurabilis organica intestinorum passio, sufficientem sustentationis in se recondidit rationem.

8. *Dysenteria.* Praecipue in hoc morbo, qui regionibus sub sydere ardente solemnis simulque exitiosus esse consvevit, in quibus arbor haec crescit, remedii huius insignem Aborigines experiuntur efficaciam. Faustissima gravi in hac intestinorum labe, obtenta resultata, peregrinantium sufflaminarunt attentionem. In Europa quoque Mesnard et Maher eadem obtinuere resultata. Eo tamen non obstante; quo nam in stadio dysenteriae indicatur? num effectus semper eosdem, pro diverso inflammationis gradu, variaque huius in intestinis sede, exerat? experientiae erit elucubrandi.

9. *Cholera. Cholerina.* ,Experimentum quod Adrien, in uno duntaxat casu, bono cum eventu instituit; nequaquam sufficientem largitur auctoritatem, illius fac simile sequendi:

10. *Vaginitis.* Quamquam efficacia monesiae in Leucorrhoea non tantam ac in Diarrhoea sibi vindicavit dignitatem, nihilominus tamen commendari omnino meretur. Adrien, Baron, Derosne, Henry, Payen, numerosos observarunt casus, in quibus diversissimis incassum adhibitis remediis, monesia in forma injectionum, subjuncto quoque usu interno, spatio 14 dierum: intensissimas etiam diuque perstantes blennorrhagias definitive sanavit.

11. *Metrorrhagia.* Cunctis remediis e serie adstringentium absque effectu mansuris, monesia tristissimis in casibus metrorrhagiae, sacram praestabit anchoram, asserit

Daynac. Ast characteris duntaxat passivi adnectit Dr. B. Secundum Alquié, fidos saepe comites uterinos quoque fugat dolores. Debilibus, emaciatis, excessivis catamoeniis exhaustis individuis, optime prodest. Id affirmant copiosae Martini St. Ange, B. Derosne, O. Henry, J. F. Payen observationes, quarum resultata plane ad scirrhosas imo canceraticas usque ulcerationes uteri extenduntur.

12. *Blennorrhagia*, *blennorrhoea*. In stadio chronico interne solum exhibita exiguum, utplurimum nullum exerit effectum; ast forma injectionum urethrae adplicita, in casibus a Maher et Martin St. Ange tractatis, medium sanationis tenuit numerum.

13. *Scrophulae*. Internus monesiae usus, scrophulosos constanter solvit tumores, attamen diuturnior, esse oportet Daynac Vulnera scrophulosa, fistulas a carie exortas, exulceratas glandulas ingvinales, felici cum successu sanavit Martin St. Ange. Factae in hocce morbo observationes, curam a 25 ad 40 usque extendunt dies, et quidem drachm. unam extracti pro nychthemero quotidie exhibendam.

14. *Scorbutus*. Fausto cum eventu tractavit Laurand Scorbutum cum Petechiis extremitatum inferiorum epistaxi excessiva, atque gingivarum affectione, interno usu, gargarismatibus et inbibitionibus monesiam continentibus. Henry St. Arnould, morbum maculosum Worlhoffy summi gradus, posteaquam acida mineralia, alumen, cortex chinae et caetera remedia tonica, quin imo aqua styptica chapelaini nil profecissent, sola monesia perfecte sanavit.

15. *Ileus*. Recentissimus temporibus ut mihi e privatis constat relationibus, truculentum huncce morbum, debellavit monesia.

B. *Externus usus.*

Sub externo usu intelligitur, immediata extracti, ungventi, tincturae aut monesini parti adfectae adplicatio, non exclusis injectionibus et clysmatibus. Morbi, in quibus forma hac adplicatur monesia, sequentes commemorari merentur.

1. *Exulcerationes cutaneae*. His adnumerantur: ulcera atonica, — varicosa extremitatum inferiorum — syphilitica, — gangraenosa, — fungosa, — gangraena nosocomialis, — et quae combustione atque nimio frigore oriuntur. In omnibus

his casibus citissime et cum efficacia modificatur superficies ulcerum morbosa, et, si quis adest, majoris quoque intensitatis dolor, illico mitigatur, lividus ulceris adspectus cedit vividiori, granulationes accedunt, et brevi post perfecta adprocuratur sanatio.

2. *Ophthalmia purulenta,* forma Collyrii 25—30. guttas Tinctorae ad unciam aquae, exoptato cum eventu adhibuit Martin St. Ange. Inchronicis Ophthalmiis cum fructu addidit Laud. Liq. Sybenhami, Payen.

3. *Haemoragia narium,* saepius recurrens et excessiva, inbibitione aquae Tinctura impraegnatae, aut forma pulveris sternutatorii e meraco Extracto, citissime sistitur.

4. *Diphteritis.* Plura individua stomacace diphteritica adfecti experimenti gratia cauterisabantur diversis remediis causticis (Nitrate argenti fuso, alii acido muriatico, aqua diluto, alii solutione aluminis) omnibus tamen palmam praeripuit monesia. Simili ratione exulceratio processus alveolaris necrotica, e Diphteritide gangraenosa gingivarum exorta, feliciter sanata est monesia.

5. *Caries dentium.* Buchey observavit cariem dentium impediri, dolores vero e carie enatos, celerius monesia cum extracto opii, quam puro opio profligari. B. commendat pro conservandis gingivis e monesia collutorium. Dr. S. statum scorbuticum gingivarum eodem remedio sanavit.

8. *Haemorrhoides.* Derosne, Henry, Payen adhibuerunt forma ungventi advarices haemorrhoidales externas inflammatas et nimium dolentes, bono cum successu. Iidem commendant in prolapsu intestini recti, suppositorium e cacao et monesia.

9. *Fissurae ani Boyeri. Rhagades papillae.* In his malis maximo cum emolumento inspergitur pulvis extracti, sedat enim dolores atque citam inducit fissurarum obliterationem.

10. *Blenorrhagia.* Injectiones jam supra laudatae, hic denuam merentur commendationem.

11. *Exulcerationes in orificio uteri.* Topica monesiae forma injectionum adplicatio, constantem spatio 4. septimanarum, procuravit sanationem, posteaquam balnea, injectiones diversi generis, ungtum et canterisationes cum mur. hydr. sublimato sine effectu in auxilium adhibita fuere.

§. 5.

Virtus Medica.

Si in statu sano aliquot grana Extraeti Monesiae sumuntur, tum non arrescit membrana mucosa oris, sicut nonnulla rémedia adstringentia, e. gr. Catechu, fructus acerbi, etc. causare solent; verum dulcis sacharaceus percipitur sapor, quem dein acer excipit et praedominans fit. Acrimoniam hanc initio tonsillae, dein quam praecipue posterior pars faucium percipiunt, et si intensioris sit efficaciae, hic loci plane dolorem plurium horarum ciere solet. Dosis 6—8. granorum intra nychthemeron, nullam immediate perceptibilem exerit reactionem; si vero continuative per plures dies reiteratur, tum langventem notabiliter incitat digestionem, prostratamque provocat adpetentiam; ea propter veri et optimi stomachici sibi meruit epitheton. Tubo intestinali normali in statu constituto moderatam procurat obstipationem. Si vero 30 gr. Extrocti ad semel ingeruntur ventriculo, tum causat calorem, gravedinem in epigastrio, sensum oppletionis in ventriculo, similem ac in perturbata digestione, et spasticam constrictionem. Status is pluribus solet durare horis, et denique pertinacem inducit sedis constipationem, vel vero dolorificum tenesmum.

In statu pathologico, etiamsi ventriculus et intestina in erethismo constituantur; nihilominus tamen, neque primitivo, sed neque secundario modo, symptomata recensita ciere consvevit, et quemadmodum topice ventriculum non afficit monesia; ita nec in totius Organismi coplexu quampiam provocat reactionem, quin potius interne sumta, sedantem in Organon adfectum exerit virtutem, e. gr. in Metrorrhagia.

Topica adplicatio extracti monesiae vulneribus, et exulcerationibus ingratam dolorosam causat sensationem, utplurimum sensum caloris adaucti, non raro lancinantibus doloribus comitatum, quem consecutiva monesiae virtus excipit; si vero dolores sequelae exulcerationum fuere, hos mitigat, sedat, et tandem suffert. Immediatam vero illius organicam efficaciam in continui laesiones sequenti ratione manifestat: copiosas aut excessivas videlicet secretiones cohibet, flaccidas incitat granulationes, eas consistentiores

reddit, sensim pedetentim exsiccat superficies, ita, ut intra paucas dies obducantur cuticula, quae futurorum Cicatricum sistit rudimentum. Dum ulcera scrophulosa soli locali adplicationi non cedunt, quinimo majus nanciscuntur incrementum, tum seposito externo usu, interne duntaxat exhibere oportet monesiam.

Monesinum, si vulneri aut ulceri inspergitur, intensiorem initio provocat dolorem, quem paucas horas post insequitur plastici humoris secretio, et ulcus obtegitur fusca cuticula, similis pseudomembranae, quae saepius fortiter adhaeret superficiei, et in fundo format cicatricem, saepius vero se desumi patitur, simulac post cauterisationem cum Lapide Infernali, magna etenim his remediis quoad virtutem inest Analogia; ablata hac cuticula, granulationes sanae magis evolutae conspiciuntur, et brevi post perfecta in sequitur ulceris Consanatio. Quandoque necessum est pluries hanc reiterare methodum, caveas attamen, praescriptos adplicationis transgredere limites, nam caeterorum efficacissimorum remediorum adinstar, nonnulis in casibus, pertinax sistere opprobrium, et in locum sanationis, potius majus causare solet incrementum.

Monesinum et Saponinum magnam quoad virtutem medicam, habere identitatem observatum est, prout et, quam monesinum producit pseudomembranam, longe crassiorem ac consistentiorem esse.

Ex omnibus his fide dignissimis observationibus, et quae felici coronabantur successu numerosissimis experimentis, celeberrimorum de monesia optime meritorum virorum, prono fluit alveo, monesiam, eminenter insigni, et quidem specifica tonico adstringente, virtute medica pollere, palmamque cunctis hucadusque usitatissimis huius indolis remediis praeripere, hacque ratione, summi momenti, omni medicorum attentioni dignissimum, sistere pharmacon. Si enim organismus e toto debilitate exhaustus, aut eiusmodi qualitativam materiae organicae perpessus est alienationem, ut per eam normalis proportio functionum et vis vitalis patiantur; tum monesia praeclaram suám tonico adstringentem affatim demonstrabit virtutem, normalem materiae qualitatem restituendo, totius organisationis compagem roborando, omnesque fuctiones incitando. Agit enim successivis digestionis et assimilationis legibus conformiter, primum et ante omnia in Sphaeram reproductivam, et processum vegetativum,

erigit infractam organorum contractilitatem, coërcet e debilitate ennatas profusas secretiones, et constringit relaxatas fibras systematis muscularis, atque atonicas systematis vasorum, et quia facillime digeritur atque assimilatur, erigit quoque leniter systema nervosum. Ob peculiarem localem, in membranas mucosas, systema cutaneum externum, organa uropoetica, et glandulas abdominis relationem, incitat cunctorum horum organorum processum vegetativum, emendat peccantem humorum Crasim, et solvit e laxitate ennatas stases, atque habituales constipationes. Ex omnibus his allatis, sufficienter ellucet, monesiae indicatio. Contraindicant vero eandem: aucta sensibilitas systematis nervosi, major erethismus systematis vasorum, hisque associata morbosa exagitatio, status gastricus, sordes primarum viarum, summo in gradu exhausta vis vitalis, proxima statui paralytico, praevalens status pituitosus, torpor vasorum absorbentium organorum abdominalium.

§. 6.

Dosis et modus exhibendi.

Hucdum solummodo extractum et monesinum in usum therapeuticum adhibita fuere.

Extratum monesiae exhibetur interne dosi 8—12. Decigrammatum, aut in Tinctura (16—24. Gramm.), aut in syrupo (100—125. Gramm.), aut in Pilulis, quarum forma omnium usitatissima et consvetissima est. In Gallia dantur officinales pilulae, quarum singula 1 decigramma puri extracti continet. Minus urgentibus symptomatibus in Diarrhoea, in moderata Haemorrhagia uteri, aliisque in casibus communiter sufficiens est dosis hac; ast in dysenteria, in pertinacibus Diarrhoeis, quae ab exulceratione intestinorum suam derivant originem sustentanturque, in nimis profuso sangvinis profluvio, dosis ad 2 usque grammata quotidie augeri debet. Derosne, Henry, Payen similis in casibus omni hora, spatio 12 usque 14 dierum duas exhibuerunt pilulas, quarum quaelibet 1 decigramma extracti tenebat. In morbis chronicis constitutionalibus, velut scorbuto, scrophulosi diuturnior esse debet usus internus, ad minimum

2 gramm. (= drachma semis) quotidie, sensim adscendendo ad 4 usque 5 gram. seu ad drachmam unam.

In genere interne praescribi debet monesia, in Bronchitide, haemoptysi, vomitu, diarrhoea, ileo, metrorrhagia, serphulosi, scorbuto. Externe vero forma injectionum in metrorrhagia, leucorrhoea, et blennorrhoea, in dyarrhoea vero forma clysmatum, optimo cum successu, subjuncto quoque usu interno, adhibetur. Si tinctura interne ordinatur, tum exigua solummodo quantitas alcoholis (1/5 pars) recipienda est; exhibetur a guttis sex usque 15. et ultra, in aqua sacharata, aut amara Ptisana. Syrupus propter faciliorem sumtionem atque ordinationem, praeprimis infantibus optimet convenit, aut individuis, quae longiori tempore, et minoribus sumunt dosibus. Non raro cum fructu additur extractum opii aquosum, ut supra dictum est, inprimis in diarrhoea et bronchitide.

Pro usu externo, in injectionibus, collutoriis, colyriis, diluitur tinctura 12—16. quantitate aquae; imbibitiones, gargarismata minorem poscunt quantitem aquae. Nonnullis pertinacibus in casibus diarrhoeae colliquativae magno cum emolumento exhibentur 10—30. grammata tincturae, in clysmate. Ungvento monesiae illiniuntur communiter plumasseaux, aut charpiae etc., et si ulcerum aut vulnerum procrastinatur melioratio, inspergitur superficiei pulvis extracti, antequam ungtum adplicatur. In ulceratione nimis profusa aut limitibus circumscripta, prout in fissuris ani, et rhagadibus papillae etc., crassius adplicari debet stratum extracti „ ut totius secreti absorbtio, et superficiei siccitas insequantur.

Monesinum hucadusque semel duntaxat exhibuit Martin St. Ange in profusa metrorrhagia et quidem 3 grammata 15 centigramm, quae illico cessavit. Intuitu usus externi, longe minori, quantitate, ac extractum siccum adhibere oportet, quod partim ob difficiliorem huius materiae in aequabilem consistentiam ungventi formatíonem, partim perse et e natura alcaloidum sponte et suapte intelligitur.

---

*

Theses.

1. Monesia est omni respectu potens pharmacon.
2. Sine anatomiae Pathologicae cognitione, vix aliquis rationalis evadet medicus.
3. Inter nova remedia Jodium principem tenet locum.
4. Corpus consumendo vivit, hinc vivendo consumitur.
5. Conservat usus oblectaminum, valetudinem subvertit abusus.
6. Cura nunquam major sit morbo, nam:
7. Si juvare non poteris, adminus noli nocere.
8. Mater sana ubera infanti praebendo, nec pulchritudinis, nec sanitatis quidquam patitur: hinc mater propriae proli ubera denegans, et suae et infantis sanitati frequenter male consulit.
9. Natura sanat, medicus curat morbos.
10. Maximi Systhematici sunt miserrimi Empirici.
